

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Pontani De Immanitate**

**Pontano, Giovanni Gioviano**

**[S.l.], 1519**

De immanitate. De immanitate quam inciditur post victoriam

[urn:nbn:de:bsz:31-270824](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-270824)

De Immanitate.

De immanitate quam incie  
dicitur post victoriam.

Hannibal

**I**Am vero captis signis: direptis castris: copijs  
q; hostium aut fugatis aut caelis: quid effera-  
tius q; volutare iacentium corpora: & siquos  
spirantis inuenias: in eos rursum manu sauire?  
Quod factitatum ab Hannibale post cladem illā  
Cannensem sunt qui tradant. Quanto & homine:  
& imperatore rerum humanarum memore di-  
gnius: id & curare & permittere: post illatam cala-  
mitatem: cadauera vti sepeliantur. quam ad rem  
indutiæ concedi soleant. Ac si quibus vulneratis  
ac male caelis relicta vitæ spes est: eis medicorū  
operam sumministrare quantū hostibus. Nam &  
in victos: prostratosq;: quosq; iure belli captiuos  
habere liceat: humanitas exuenda non est: nec tes-  
la in captiuos: verum in acie stantes exercenda.  
Grassatorum est: ac sicariorum: & eorum quidem  
truculentissimorum: post spoliatos viatores: eos-  
dem obtruncare: videlicet ne cognoscantur: stre-  
nui vero militis id nullo modo. Nam in ipso præ-  
lio: interq; conferendas manus: cæso aduersario:  
caput ei auellere: militari est ex instituto & lege.  
Cum sint militibus præmia cæsi hostis propo-  
sita: & auulsi a ceruice capitis ostentatio: sit rei stre-  
nuæ gestæ testimonium. At iacenti cruentato in  
solo: & biduano iam aut triduano ceruicem secu-

Grassatores.  
Sicarij.

Srenuus  
miles

isse cadaueri: hoc nullius quidem est feræ: nisi tantum hominis: ac nefarij hominis: feras ipsas etiam supergressi.

## SCHOLIA.

**Cladem Cannensem.** Cannæ ignobilis Apuliæ vicus magnitudine cladis emersit. Hic cæsa leguntur Romanorum quadragintaquinque milia, Cæsus est & Paulus Æmilius vir eximius, vna cum senatoribus nonaginta, consularibus atque prætorijs, aut ædilitijs, triginta. Autor Titus Liuius. Obseruatum est apud Aulum Gellium cap. 17. & apud Macrobium primo satur. Hanc cladem Romanis illatam ante diem quartarum nonarum Sextilium.

Cannæ

Aulus  
Gellius.  
Macrobius.

Liuius

Sunt qui tradunt, Liuius lib. 2. secundi punici sic scribit. Iacebant tot Romanorum milia, pedites & equites passim, vt quem cuique fors aut pugna iunxerat, aut fuga, assurgentes quidam ex strage media cruenti, quos stricte matutino tempore excitauerant vulnera ab hoste oppressi sunt &c. Cladis huius meminere Poly. lib. 5. Valerius cap. 1. & 2. primi. cap. 2. re. 2. secundi, cap. 4. tertij, cap. 6. quarti, cap. 4. & 6. septimi. Plinius cap. 8. quinti & decimi naturalis. August. pluribus in locis ciuitatis diuinæ, Silius in toto. 9. & 10. Frontin. cap. 2. secundi, & plures alij.

Scriptores  
cladis Cannensis.

Polibius,  
Valerius  
Plinius  
Augusti.  
Silius  
Frontin<sup>9</sup>

De immanitate in quam inciditur in diripiendis vrbibus

**D**ireptiones ipsæ vrbium ac populorum: præcipuam ad omnem immanitatem materiam exhibent: in polluendis templis: in violandis sacris: in corrumpendis tum puellis: tum pueris impuberibus: in cædendis senibus: sexuque imbecillo. Vt direptiones ipsæ (quod dictum est) aditum ad omne immanitatis genus faciāt.

g iij